



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 28. De sermone Christi in monte.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

consolationem, signum est, quod decumbat ager, & male habeat. Verum quando hac reputat pro onere, & sunt illi molesta & fastidiosa, signum est eum sanum esse, & ambulare.

8. Christus secessit à turba, quæ in illo loco erat, præbens nobis exemplum non quærendi in operibus nostris bonis laudem & hominum applausum; atque etiam, quod aliquando debeamus secedere ab illis, qui ad calumniandum sunt proclives & prompti, effugereque oculos invidorum, ne eis detur occasio maioris inuidiæ & peccati.

9. Christus postea inuenit paralyticum in templo. Sic nos, postquam gratia aliqua à Domino ornati fuerimus, primo id agere debemus, ut referamus ei gratias non lingua tantum, sed etiam religiosa conuersatione, frequentando Ecclesias, & vitam nostram in meliorem commutando.



## MEDITATIO XXVIII. DE SERMONE CHRISTI IN MONTE.

### PVNCTA MEDITATIONIS.

*Matt. 5. I. Christus in monte Octo beatitudinis  
Luc. 6. genera exposuit: Beati pauperes, mi-  
tes, &c.*

*II. Eos hortatur ut acceptis donis re-  
ctè utantur: Sic luceat &c. ut glo-  
rificent Patrem.*

*III. Osten-*



MEDITATIONVM. 95

III. Ostendit non soluere se legem, sed implere : vnde etiam inimicos diligendos esse ostendit.

---

PROPHETIÆ.

1. **S**uper montem excelsum ascende, tu qui *Esa. 40.*  
Seuangelizas Sion.

2. Et erunt oculi tui videntes præceptorem *Esa. 30.*  
tuum, & aures tua audient verbum. Hæc est  
via, ambulate in ea & non declinetis, neque  
ad dexteram, neque ad sinistram.

3. Dulcis & rectus Dominus, propter hoc *Psal. 24*  
legem dabit delinquentibus in via. Diriget  
mansuetos in iudicio, docebit mites vias  
suas.

---

DOCUMENTA.

1. **C**hristus mundo traditurus doctrinam de  
Euangelicis consilijs, relictis turbis in  
valle, ascendit cum discipulis in mon-  
tem: vt significaret, eum, cui incumbit munus  
alios docendi iustitiam & vitæ perfectio-  
nem, debere ascendisse virtutum culmen, &  
verba sua probare exemplo; sic vt plus ope-  
ribus doceat quam verbis: qui enimambu-  
lat per valles vitæ æternæ, & loquitur de re-  
bus cælestibus, non tam alios instruit, quam  
se ipse arguit. Nam vt de montibus rectè lo-  
qui non potest, qui habitat in vallibus, sic de  
rebus cæli non rectè loqui potest, qui mente  
defixus est in terra.

2. Si



2. Si regnum cœlorum est paupertatis voluntariæ præmium, quia merito cœlestia debentur illis, qui contempserunt terrena; qua ratione cogitant se ad cœlum peruenturos, quorum studium & cura omnis posita est in accumulandis & possidendis bonis terrenis?

3. Si pauperibus spiritu, hoc est, humilibus promissum est mercedis loco cœlum, & mitibus possessio terræ, superbis & iracundis quid aliud superest, nisi infernus?

4. Si qui in hoc mundo lugent, consolabuntur in altero, quem exitum sperare possunt, qui risu & recreationibus per omnem vitam dediti sunt, nisi æternum luctum & planctum, secundum illud dictum sapientis. *Risus dolore*

*Prou. 14. miscbitur, & extrema gaudij luctus occupat.*

5. Beati, inquit Dominus, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, ut indicet, non satis esse si velimus iustitiam, sed opus esse ut magno & acri desiderio in illam feramur; nec unquam putemus nos satis esse iustos: sed crebris precibus, continuoque bonorum operum exercitio omnino in iustitia progressum faciemus secundum scripturæ consilium. *Qui iustus*

*Apo. vi. est, iustificetur adhuc.*

6. Dominus misericordiarum, dum beatos prædicat misericordes, facile indicat, neminem obtenturum misericordiam, si ipse erga alios non fuerit quoque misericors. Quare si proximis fuerimus crudeles, non remittendo illis iniurias, nec in necessitatibus subueniendo, planum est, nullam quoque nobis misericordiam demonstrandam esse ab alijs.

7. Beati mundo corde. Ut beati simus non sufficit, ut simus mundi in verbis & operibus sed opus est, ut cor quoque sit mundum, id est, inten-



intentio fit recta, & conscientia pura sine remorsu peccati: nam sicut peccatum esse non potest, si cor immundum non sit: sic opus bonum esse nequit, si cor mundum non fuerit.

8. Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur. Officium filij Dei fuit, non solum esse pacificum in se, sed etiam in alijs, pacificando videlicet homines cum Deo: sic nos verè erimus pacifici, & digni nomine filiorum Dei, quando non solum in nobis habebimus pacem, sed efficiemus quoque, vt proximam nostram reconcilientur cum Deo.

9. Beati qui persecutionem patientur propter iustitiam. Reiecit Dominus hanc virtutem in vltimum locum, quæ est perfectio omnium reliquarum: nam qui ad hanc paratus est, omnes alias iam habet: contra, qui non est ad hanc paratus, nullam reliquarum habet. Frustra igitur persuademus nobis & gloriamur nos esse humiles, mites, misericordes & pacificos, si quando vel verbulum aliquod nobis sine causa obicitur, vel minima contumelia afficimur, mox conuolamus ad arma, & nulla ratione eam volumus inultam relinquere.



MEDITATIO XXIX.  
DE ORATIONE DOMINICA.

PVNCTA MEDITATIONIS:

I. *Cum Christus aliquando orasset, rogauerunt eum Discipuli, vt ipsos doceret.* Luc. II. Matt. 6.

E

ret